

ro vsquam in libris iuris; quae situm est a multis et iuris
 ciuilis, et Latinorum scriptorum interpretibus, an adoptio
 quae fit testamento, iure fiat, siue genus quoddam ado-
 ptionis iure ciuili constituat? Tractarunt hanc quaestionem
 praecipue Cuiacius *Lib. VII. Obseru. c. 7.* Brissonius *d. l.*
 Torrentius ad *Suet. Caes. c. LXXXIII.* vterque Huberus,
 Ulricus pater *P. I. Digress. Iustin. Lib. II. c. 23. §. 2.* Zacha-
 rias filius *Lib. II. Diff. IV. §. 24.* Heineccius *d. l.* Trotzius
d. c. IV. §. 1. Madernus ad *Sigon. Lib. I. de Ant. Iur. Ciuit. Rom.*
c. 10. n. 82. Tom. V. Oper. p. 117. ac nouissime Herm. Can-
 negieterus *Lib. II. Obseru. Iur. Rom. c. 20.* Qui quidem vna
 omnes, et consentiente voce negant, adoptionem veram testa-
 mento fieri posse, uno Cannegietero excepto, qui, vt ipsi-
 us verbis vtar, hoc vlcus non tangit, sed in reprehendendis
 dumtaxat Huberis versatur. Quibus ego etsi, quod ad
 ipsam sententiam adtinet, lubenter adsentior: non infitior
 tamen, nonnullas rationes ad confirmandam sententiam ab
 illis prolatas mihi parum probari. Nam, vt praecipue Cu-
 iaci argumenta expendamus, primum adoptionem testa-
 mento iure fieri negat, quia legati verbo in ea lege XII.
 Tabb. quae testamentorum ius et libertatem constituit,
 adoptiones non significantur. Verum, vt Heineccius *d. l.*
 probabile reddidit, ius adoptionum, demum post XI. Tabb.
 propter conseruationem sacrorum priuatorum, decemuir-
 li lege praeceptam, apud Romanos ortum est, neque adeo
 decemuir quidquam de eo iure cauere potuerunt. Male
 igitur Cuiacius a silentio decemuirorum de adoptionibus in
 lege